

dupla, quæ est inter ascensioes circuli meridiæi & mediæ noctis, & ascensiones circuli horyzontis orientalis. Et similiter ad differentiam, quæ est inter ascensiones prædicti circuli meridiæi & mediæ noctis, & descensiones circuli horyzontis occidentalis. Ex quibus omnibus intelligi potest, quòd scitis ascensionibus circuli directi, & scitis ascensionibus circuli regionis, sciri possunt ascensiones aliorum circulorum horarum, hoc est, quòd scitis ascensionibus cum quibus quilibet gra. circuli signorum, transit per circulū meridiæi & mediæ noctis, et scitis ascensionibus cum quibus quilibet eorundem transit per circulum horyzontis orientalis, sciri etiam possunt ascensiones, cum quibus quilibet gra. eorum transit per omnes alios circulos horarum. Cum em̄ quælibet quartarum sphaeræ imaginetur diuidi in sex partes æquales, quæ terminantur per circulos horarum, ut dictum est supra, manifestum est, quòd ascensiones cuiuslibet gra. circuli signorum in quolibet circulorum prædictorum excedunt ascensiones eiusdem gra. in circulo sibi immediato, uel ab eis exceduntur per sextam partem differentiæ, quæ est inter ascensiones eiusdem gra. in circulo horyzontis orientalis, & ascensiones eiusdem in circulo meridiæi & mediæ noctis. Cum igitur sciueris ascensiones cuiuslibet gra. circuli signorum in circulo directo, & similiter in circulo regionis, et uolueris scire ascensiones cuiuslibet eorum in alijs circulis horarum, scias differentiam quæ est inter ascensiones cuiuslibet gra. circuli signorum in circulo directo, & similiter ascensiones cuiuslibet eorum in circulo regionis, cuius differentiæ accipe sextam partem, quam adde super ascensiones circuli regionis cuiuslibet eiusdem gra. à principio signi Arietis usq; ad finem signi Virginis, & habebis ascensiones cuiuslibet eorum in circulo superiori & inferiori terminante primam horam temporalem, hoc est, cum quilibet eorum fuerit elongatus ab angulo orientis, seu circulo horyzontis orientalis per unam horam temporalem, siue ipse uel ipsi gra. fuerint super terram siue sub terra, deinde super ascensiones cuiuslibet eorū in circulo terminante primam horam temporalem, seu in circulo, primo à cir-

r                      culo